

40 quod gemmarum fila pretiosa perdiderim sed quia horum omnium carior et omni auro omnique gemma pretiosior amicus qui una nobiscum vitae huius pelagus et mare hoc magnum spatiosumque navigabat, nescio quomodo lapsus usque in ipsum fertur perditionis profundum.

3. Quod si aliqui ex amicis consolari me volunt et a lugendo prohibere, propheticis ad eos respondebo vocibus dicens : « Sinite me amarissime flere, nec persistatis consolari me. » Non enim lugeo pro carnis affectu nec planc-  
5 tum plango femineum, ubi immoderatio lacrimarum culpabilis iudicatur, sed illud lugeo quod et magnus ille ac mirabilis Apostolus Paulus lugere se dicit, cum scribit : « Et lugeam omnes qui peccaverunt et non egerunt  
10 paenitentiam. » Nam eos qui pro communi hac morte carorum immoderatis planctibus affliguntur, merito quis notabit ; ubi vero non corporis sed animae vulnera lamentantur et talis animae quae in ipsa etiam morte signa prioris pulcritudinis et admirandi decoris ostendat atque extinctum in semetipsa florem virtutum indiciis adhuc  
15 spirantibus prodat, quis ita crudelis et ab affectu totius virtutis alienus est qui non moveatur ad luctum, non excitetur ad lacrimas ? Sicut enim pro morte communi philosophicum est a lacrimis temperare, ita in animae morte et talis animae consolationem recipere et insi-  
20 piens et irreligiosum duco. Quomodo enim non videbitur flendus sive lamentandus is qui dudum omnem pulcritudinem in corporibus tanquam in lapidibus aspiciebat, qui aurum sicut lutum videbat, qui delicias cunctas ut caenum respuebat, hic subitis febribus libidinis ac volup-